



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harphii Theologi Ervditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

De patientia operis oris, & cordis: & de clementia & mansuetudine, &
vtrumne liceat appetere vindictam. Cap. LXXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

tiā quoque malorum exhibitio delectat, ut & in ea gloriatur. Ro-
gemus igitur & nos fratres, ut Spiritus sanctus, qui hac omnia operatur
in nobis omnibus, utpote *super mel dulcis*, qui iam *promittit* praestitit,
etiam in nobis dona sua multiplicet, multiplicata confirmet: ne mo-
lestus nobis sit poenitentiae labor, grauis afflictio corporis, iniuria per-
secutoris: ne sit onerosa abstinentia, insipida disciplina, nec in vigilijs
praetadio dormitet anima nostra, fiatq; voluntas consentanea rationi,
dicenti. *Non sum condigne passionis huius temporis, ad futuram gloriam,*
qua reuelabitur in nobis. Ad quae consequenda, gaudium Spiritus san-
cti nobis est summè necessarium: nec est certius testimonium eius pre-
sentiae, quam vehemens desiderium amplioris gratiae, sicut ipse dixit:
Qui me edunt, adhuc esuriunt; & qui bibunt me, adhuc sitient.

1. Cor. 12.
Ecl. 24.
Rom. 8.

Ibidem.

Ecl. 24.

*De patientia operis, oris, & cordis: & de clementia & mansuetudi-
ne, & utrumne liceat appetere vindictam.*

Cap. LXXVI.

Sicut liliū inter spinas, sic amica mea inter filias. Sicut ait Cicero, ani-
mum vincere, iracundiam cohibere, victoriam temperare, aduer-
sarium non modo extollere iacentem, sed amplificare pristinam
eius dignitatē: Hæc qui fecerit, non ego eū summis viris comparo, sed
Deo simillimum iudico. Ex quibus verbis elici potest triplex patien-
tia, scilicet operis, oris, & cordis, quæ potissimè manu tenetur tum vir-
tute clemētiæ, cum mansuetudinis: quæ duæ quamuis in eundem affe-
ctum concurrant, in hoc tamen differunt, quod ad clementiam dire-
ctè pertinet, quod sit diminutiua poenarum, ita quod punishmentis ex-
terioris est moderatiua, secundum iudicium rationis: quæ modera-
tio prouenit ex quadam dulcedine affectionis, qua quis abhorret om-
ne, quod potest alium contristare. Sed mansuetudo propriè dimi-
nuit passionem iræ & impetum: quia propriè respicit appetitum vin-
dictæ diminuens eum, & moderans secundum rectam rationem. De
qua dicit Hilarius, quod per mansuetudinem mentis nostræ Christus
habitat in nobis. Hinc consulit Ecclesiasticus: *Fili in mansuetudine ser-
ua animam tuam:* quia nimirum mansuetudo maximè facit hominē
sui compotem. Tamen pro eodem saepe ponitur. Prima igitur est pa-
tientia operis, quam Apostolus consulit, dicens: *Videte ne quis malum
pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est sectamini in inuicem, &
omnes.* Et: *Noli vinci a malo, sed vince in bono malum, recogitantes*

Ecl. 10.
Patientia
operis.

1. Thess. 5.
Rom. 12.
Hebr. 12.

XX 2

6177

Heb. 12.

eum, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contraditionem, ut non sui igemini animis vestris, deficientes. Et hoc maximè fit per clementiam & mansuetudinem. Vnde dicit Gregorius, quòd primus seruandæ mansuetudinis & clementiæ modus est, ut omnes, quas pati potest contumelias animus hominis sibi proponat, & Redemptoris sui opprobria cogitans, ad aduersa se prepararet. Qui enim improuidus ab aduersitateprehenditur, quasi ab hoste dormiens inuenitur. Secundus modus est, ut cum aliorum excessus aspiciamus, nostra delicta, quibus in alios excessimus, videamus. Erubescit enim non parcere; qui vel Deo, vel proximo se parcenda recolit commississe. Dicit autem Seneca de clementia, quòd est temperantia animi in potestate vl-

Clementia.

ciscendi: vel est lenitas superioris ad inferiorem. Omnes enim intelligunt clementiam esse, quæ se flectit citra, quod meritò constitui potest in exigenda pœna. Refert Valerius Maximus, quòd Marcus Bibulus vir amplæ dignitatis, & summis honoribus functus, cum in Syria prouincia moraretur, duos indolis egregiæ filios suos à Gabinianis militibus Aegypti occisos cognouit: quorù interfectores Regina Cleopatra ad eum victos misit, ut grauisimæ cladis vltionem arbitrio suo exigeret. At ille, oblato beneficio, quo nullum maius lugenti tribui poterat, dolorem moderationi cedere coëgit, carnificesque sui sanguinis intactos euestigio ad Cleopatram reduci iussit dicens: Potestatem huius vindictæ non suam, sed senatus esse debere. Si hoc egit gentilis, quid faciet Christianus?

Vindicta
an excusat.

Hic ergo quæri potest: Vtrum appetitus vindictæ sit licitus, præsertim cum Tullius ponit eam esse partem iustitiæ, quam ita diffinit, dicens: Vindicatio est, per quam vis & iniuria, & omnino quicquid obscurum est, id est, ignominiosum defendendo, aut vlciscendo propulsatur. Ad hoc dicendum, quòd si vindicantis, vel vindictam appetentis intentio feratur principaliter ad aliquod bonum, ad quod per pœnam peccantis peruenitur, scilicet ad emendationem, vel prohibitionem peccantis, ad aliorum quietem, ad iustitiæ cõseruationem, & ad Dei honorem: tunc vindicatio, vel eius appetitus, potest esse bona & licita, seruat debitis circumstantijs. Et ideo, quamuis est nobis necessaria patientia in his, quæ contra nos aguntur; tamen præcepta patientiæ in his, quæ contra nos fiunt, non sunt semper ad implendum necessaria, sed habenda sunt in præparatione animæ, ut dicit Augustinus, illud exponens: *Si quis te percusserit in vnâ maxillam, præbe ei & alteram.*

Matt. 5.

teram.

verū: vt scilicet homo sit paratus hoc facere, si opus fuerit: nō tamē sem-
 per actu facere tenetur, quia non semper expediret. Secunda verō di-
 citur patientia oris, de qua dicit Apostolus: *Non reddentes malum pro*
malo, nec maledictum pro maledicto; sed e contrario benedicentes: quia in
hoc vocati estis, vt benedictionem hereditate possideatis, vt Deum aeter-
 naliter in futuro benedicatis, exemplo illius, *qui cum malediceretur, nō*
maledicebat; cum pateretur, non comminabatur. Hic quaeri potest: Verū
 melius est, conuiciati vel iniurianti respondere, seu omnino tacere. Ad
 hoc respondit Astaxanus: Quod si fiat comparatio in genere, tunc me-
 lius est tacere, quā respondere ad victoriam obtinendam. Plus enim est
 vincere vitium, quā personam, iuxta illud Prouerb. *Melior est patēs*
uiri foris, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Vnde Chry-
 sostomus: Si vindicare, inquit, vis, sile, & funestā ei dedisti plagā. Quod
 maximē verificatur in mulieribus ira commotis. Quod si fiat com-
 paratio secundū conditiones personarum, tunc (secundū Henricum
 Boyck extra. de iniurijs, & Alexandrum Anglicum) attendendae
 sunt conditiones conuiciantis, & conuiciati, & secundū hoc oportet
 conuiciam sustinere, vel non. Nam si dicatur à provocato, conuiciam
 personae pari, vel inferiori, vbi non est iniuria officij, & si praesumitur
 tunc emenda pro sustinentia, tunc sustinendum est, & est meritorium,
 vtpote inductiuum ad alterius recognitionem, vel saltem ad sui ipsi
 humiliationem. Sicut refert Seneca, quod Titus Tacitus maledicenti
 sibi Metello: Facile est, inquit, in me dicere, cum non sim responsurus.
 Tu, inquam, didicisti maledicere, & ego, conscientia teste, didici ma-
 ledicta sustinere. Et sicut tu linguae tuae, sic ego aurium mearum sum
 dominus. Si verō dicatur superiori iniuria officij, vel alij coram ipso,
 tunc non est sustinendū, praesertim si de remedio temperantiae nō praes-
 sumatur. Dicit enim Bernardus, quod impunitas insolentiae mater, in-
 curiae soboles, radix impudicitiae, transgressionum nutritrix est. Et simi-
 le est de his, quorum vita posita est in exemplo imitationis, qui debet
 etiam detrahentiū mendacia compescere, ne praedicationem eorū non
 audiant, qui audire poterant, & in prauis moribus immanentes, bene
 viuere contemnant. Huiusmodi tamen repressio debet esse moderata,
 & propter affectum charitatis, non propter cupiditatem priuati ho-
 noris. Debent etiam argui furore iam sedato, quia tūc poterit eis pro-
 desse. Vnde legitur, quod quidā Socratem intuens, dixit: O oculi cor-
 ruptores puerorum. Cumq; discipuli eius irruentes in illum, illatum.

Patientia
oris.Rom. 12.
1. Pet. 3.Contitio
responden-
dum ne sit
Prouer. 16.

magistro conuitium dimittere nollent inultum, hac illos sententia re-
 presit. Quiescite o sodales, quiescite. Etenim sum quod dicit ex natu-
 ra: sed me reprimendo contineo. Sic refert Seneca de Antigono re-
 ge, quod cum audisset quosdam de eo male existimare, & obloqui,
 eo quod solus paries medius erat, siue sola cortina, illa leuiter mouit,
 dices in persona alterius: Discedite hinc, ne rex vos audiat. Audit enim
 vos ipsa cortina. Et ad Iulium Caesarem cum quidam diceret: O ty-
 ranne. Patienter respondit: Si essem, non diceres. Tertia denique di-
 citur patientia cordis, iuxta illud Apostoli: *Solliciti seruate unitatem spi-
 ritus*, id est, cordium, *in vinculo pacis*; quod proprie fit per mansuetudi-
 nem. De qua dicit Gregorius: Mansuetus nec irritat malum, nec irri-
 tatur a malo, nec aduersus eum praevalet causa peccati, nec aduersus
 alterum aliquando ex illo nascitur causa peccandi, sed magis cõten-
 tus est iniuriam pati, quam facere. Ille qui verè mansuetus est, tràquil-
 lus est in cogitatione, ac suavis in sermone, & dulcis in conuersatione.
 Vnde Chrysostomus: Mansuetudo est bonitas malitiam vincens, nulli
 malum inferens, sed omnia mala in bonum conuertens, omnem iniu-
 riam tolerans, nec malum pro malo reddens, nec maledictum pro male-
 dicto, sed omnia portat æquanimiter: quæ virtus alio nomine dicitur
 mititas, & est circa passionem irascibiles reprimendas, circa quas huma-
 no & communi modo quis bene se habet, quando sic eas refrænat,
 quod non nimis excedat, quamuis aliqualem earum perturbationem
 sentit. Sed prout est beatitudo, facit hoc excellentius, hominem red-
 dens omnino tranquillum à motibus irascibilis per omnimodam
 subiectionem ad regulam rationis, & diuinæ legis. De qua dicit Am-
 brosius: Mitis est ille, quem mentis asperitas, vel amaritudo non af-
 ficit, sed fidei simplicitas ad omnem iniuriam patienter sustinen-
 dam instruit. Mitiga affectum, vt non irascaris; aut certè iratus, ne
 peccaueris. Præclarum est enim, iræ motum temperare consilio. Nec
 minoris virtutis dicitur cohibere iracundiam, quam omnino non
 irasci, cum plerumque istud leuius, hoc fortius æstimerur. Vnde ait
 Sanctus Augustinus super illud: *Besti mites*. Tunc, inquit, verè possi-
 debis *terram*, quando inhaeris ei, qui fecit celum & terram. Hoc est e-
 nim esse mitem, non resistere Deo tuo, vt in eo, quod tu benefacis, ipse
 tibi placeat, non tu tibi. In eo autem quod mala iuste pateris, ipse ti-
 bi non displiceat, sed tu tibi Neque enim parum est, quia placebis ei,
 displicenstibi: displicebis enim illi, placens tibi. In cordibus miti-
 um re-

Patientia
 cordis.
 Ephes. 4.
 Mansuetu-
 do.

1. Pet. 3.

Mititas.

Math. 5.

um requiescit Dominus. Anima verò conturbans conturbata sedes est demonum.

De primo gradu patientie, & quòd in quatuor obligamur inimicis, & quòd remissio peccatorum attribuitur remissioni iniuriarum propter tria. Cap. LXXVII.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Dicit Cyrillus super Lucæ & illud Lucæ: *Dare, & dabitur vobis*: Quòd ampliori manu recompensationem accipiemus à Deo, qui largissimè donat diligentibus eum, hoc est, pro eius amore proximo remittentibus, ostendit, subdès: *Mensuram bonam*, scilicet veniæ; & *confertam*, scilicet gratiæ; & *coarctatam*, spiritualis lætitiæ; & *superfluentem*, æternæ gloriæ; *dabitur in finem vestrum*: quia ipsi, quibus remittitis, erunt causa quòd Dominus dabit. Et si prima facie videatur intelligi de eo, quod ait: *Dare, & dabitur vobis*, multo magis tamen verificatur in eo, quod præmittitur: *Dimittite, & dimittetur vobis*, scilicet, quod mortiferum est, & dabitur quod saluiferum est: quia nullum genus eleemosynarum est maius, quam id, quòd ex corde dimittimus, quòd quis in nos peccauit. Nec potest esse in homine maior expressio similitudinis diuinæ, quàm propter Deum omnes iniurias animo grato suscipere, ac in se peccantibus clemèter indulgere, eosq; ex intimo corde diligere: & ideo similis Altissimo, imò filius Altissimi cõsetur in Euangelio. Magnū est ergo præconium pietatis. Reddit enim hæc virtus nos Deo conformes, & quasi quædã signa sublimis naturæ nostris imprimat animabus, ut dicit Cyrillus. Et tunc veraciter est anima inter filias, sicut lilium inter spinas, complectès perfectã patientiã, quæ tribus gradibus attingitur. Primus gradus est incipientium, de quo dicit Bernardus: Qui initiatur à timore, crucem Christi sustinet patienter, sed optaret omnino, si fieri posset, quòd in hanc horam non venisset. Veruntamen nõ desperet qui eius modi est, si molesta sibi videatur iniuria vel tribulatio, quam patitur, si desiderat ut calix ab eo transferatur, dummodò addat illud: *Verũ tamen non sicut ego volo, sed sicut tu*: nec tamen sit salute contentus, sed inquirat pacem, & persequatur eam, ne salus ipsa sit eidem in periculum. Pax autem ista comprehenditur ab hominibus bona voluntatis. Bona verò voluntas, est ordinata voluntas, quæ consentanea est rationi, dicenti: *Quia non sunt condigna passionis huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis*. Et sic faciet de necessitate virtutem,